



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IX. Quomodo intelligi debeat, & explicari dispensatio facta super pluralitate beneficiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

primum sit insufficientis ad debitam sustentationem, potest alterum admittere, & retinere, si & ipsum secundum se insufficientis sit, sine ulla dispensatione beneficiatus; si verò primum sufficiens sit, alterum admittere & retinere non potest, juxta Tridentini sanctionem, in qua Episcopus dispensare non potest; juxta cujus Tridentini mentem, ut declaravit Sacra Congreg. nulli sine Pontificis dispensatione plura, quam duo conferri possunt.

Iustæ autem causæ, propter quas ad plura beneficia incompatibilia de se retinenda à Pontifice dispensari potest, tres communiter numerantur, Necessitas scilicet Ecclesiæ, (si desint v. g. in aliquo loco, ubi hæretici se intrudere volunt, Ministri necessarii, & idonei) Magna Ecclesiæ utilitas (si plus unus talis profuturus judicetur Ecclesiis, ob auctoritatem, potentiam, nobilitatem, doctrinam, & alias ejuscemodi dotes &c. quam plures alii) & denique meritorum prærogativa, ob quam uni optio è v. g. de Ecclesia merito, plura nonnunquam beneficia conferuntur, ut constat etiam ex c. *sepius cita. De multa.*

§. IX.

Quomodo intelligi debeat, & explicari dispensatio facta super pluralitate beneficiorum.

Primo, dispensatio alicui facta, ut possit duo beneficia, curam animarum habentia canonicè ipsi collata recipere, & simul retinere, de duobus primis beneficiis curatis, quæ proximè post dictam dispensationem ipsi collata

Compend. Pirhings.

fuerant, intelligi debet, ita ut si unum ex obtentis postmodum dimiserit, viilius dispensationis, aliud recipere non possit. juxta c. *non potest 21. h. t. in 6.* cum per prima duo obtenta gratia dispensationis impleta jam fuerit.

Secundò, si dispensatum cum aliquo sit ad duo beneficia retinenda, quæ ratione residentia personalis, & perpetua, aliàs incompatibilia sunt, hoc ipso censetur cum tali in residentia dispensatum, ut sufficiat in uno eorum, quod placuerit, (si tamen æqualis Dignitatis sint) residere, constituto in altero, in quo non residet, Vicario; quamvis enim strictæ interpretationis sint dispensationes, ad necessariò tamen connexa se extendere debent, ne videantur inutiles esse, juxta Gloss. in c. *Quia in tantum 5. V. plures h. t.*

Tertio, si ad duo curata beneficia dispensatum fuit, cum addita clausula: *dummodo per Vicarium deserviat in altero in quo non residet beneficiatus;* valet talis dispensatio, quamvis addita clausula non observetur, cum addita hæc clausula non videatur, tanquam conditio substantialis, sed tantum per modum admonitionis, aut modi, quo non observato, puniri possit beneficiatus.

Quarò, si cum aliquo ad beneficium aliquod dispensetur, cum clausula: *non obstante, quod jam aliud antea beneficium habeat,* non idèò dispensatum cum tali est, ad plura beneficia simul retinenda, cum clausula adjecta hoc tantum operetur, ut impetratio beneficii secundi subreptitia censeri non debeat, uti patet ex cit. c. *Non potest. §. cum verò h. t. in 6.* in dubio enim gratia Principis ita intelligi debet, ut odiosam contra jus dispensatio-

lationem non inducat, si possit in alium sensum explicari.

SECTIO VI.

De Unione, & Divisione, seu sectione beneficiorum Ecclesiasticorum.

§. I.

Quid & quotuplex sit unio beneficiorum, & quot modis fieri possit?

UNIO est duorum vel plurimum beneficiorum, aut Ecclesiarum ab Episcopo, vel alio legitimo superiore facta annexio. Duplex autem illa esse potest. Primo ut sit unio perpetua, si in perpetuum scilicet, sive ut perpetuò duret, auctoritate legitimi Prælati hæc connexio fiat, in bonum potissimum Ecclesiarum. Secundò ut sit temporalis, si fiat scilicet ad certum tantum tempus in gratiam potissimum beneficiati, ad cuius fortassis vitæ tempus durabit. Utraque unio tribus modis fieri potest. Primo ut duo beneficia, vel plura, in unum quasi corpus distinctum coalescant, ut si ex duabus Ecclesiis Parochialibus, quarum tenues valde sunt redditus, una sit Ecclesia Parochialis tertia, ab utraque priore distincta, quæ tamen utriusque Ecclesie jura & privilegia, vel saltem favorabiliora, si sint contraria, retinet. Hic tamen modus unionis non est in frequentu usu. Secundò fieri potest unio, si una Ecclesia, aut beneficium, alteri tanquam su-

periori, & velut accessorium Principali annexatur, ita ut beneficium in unum & accessoriè unitum, quasi extinguitur, & omnes qualitates, ac privilegia Principalis assumat, cui per Vicarium deserviat, ita ut non vacet per Principali v. g. Rectore mortuo, vel amovendo neque per se permutari, aut resignari possit (quod enim extinctum est, quæ nomen, & titulum, illi nihil relatione convenire potest) sed facta collatione principalis, etiam hoc accessoriè unitum collatum habeatur. Tertio fieri potest unio, si duo beneficia, vel duæ Ecclesie cathedrales, duæ Ecclesie Parochiales &c. æque principaliter uniantur, ut ut ambæ propriam naturam, qualitates & privilegia retineant, & nemini subiciatur, sed utraque suum redditus suos redditus &c. retineat, sub rectorum nomine Rectore, prout habetur in c. de sede vacante &c.

§. II.

Quis potestatem habeat uniendo beneficia? & ob quas causas fieri possit, ac debeat?

POTESTAS uniendo beneficia tam in majoribus, quam in minoribus, & Ecclesiis quibusvis, inprimis ad Papam spectat, cui plena beneficiorum dispositio competit. Secundò potest unire Episcopus ex justa causa Ecclesias, & beneficia in eadem Diocesi (c. Sicut 8. de excess. Prælati) modò sit unio talis perpetua, & ad certum tantum tempus tantum Episcopus unire potest beneficia, cum hæc uniones non sint uniones, quàm juris relaxationis, & non sint exempta beneficia, vel collationi Pontificie specialiter & perpetuo